

Item praeterea, quod nonnulli praebendam emere symoniacum esse confirmant, in nulla auctoritate reperire potui. Sed quod dominus Petrus Damidis ad Alexandrum papam nostris temporibus scripsit, eos, qui canonicales praebendas per interventum pecuniae pestilenter accipiunt, symoniace hereseos tendicula non evadere¹, pestilenter quidem² emere praebendam, ut de simonia taceam, consentio gravis esse piaculi, sed corde bono et simplici pecuniam dare pro praebenda, non cupiditate praebende, verum desiderio fraterne communionis et orationis, quod nonnullas religiosas personas fecisse vidimus et audivimus et ideo testamur, bone esse intentionis affirmare audemus. Vidimus³ enim quasdam honestas et religiosas personas, que praebendas gratis sibi oblatas gratis accipere recusaverint, dicentes me audiente: se <non> audere praebendam gratis accipere, quam scirent⁴ pro certo se nequaquam posse deservire, ideoque cautius sibi videri precium pro praebenda dare, quam gratis stipendium cottidianum accipiendo, quod deservire nullo modo sufficerent⁵, ecclesiam⁶ sepius, immo cottidie, ad cumulum peccatorum suorum gravare, quamvis gravedinem pro cottidianis expensis ex caritate nullam sentientem vel potius gravedinem in expensa cottidiana libenter ex caritate fraterna sufferentem. Qui enim, inquit, gratis nobis stipendium dare volunt, non quod suum est, sed⁷ quod nostrum, ex caritate querunt, nos autem, si gratis acceperimus, non quod eorum est, sed quod nostrum, inconsulta caritate quaerimus, ideoque cautius nobis videtur, penuriam cum apostolo pati, quam elemosina⁸ pauperum Christi non pro merito⁹ sustentari. Cum enim apostolus ab eis, quibus¹⁰ sufficienter spiritualia seminavit, nec debita sibi carnalia metere auderet¹¹, quomodo nos servi inutiles¹² et pigri stipendium¹³ ab ecclesia, quod promerendo debitum nobis facere¹⁴ non sufficimus, gratis accipere, his quidem, qui ex caritate tribuunt, in refrigerium, nobis autem in periculum, non timebimus? Et his quidem¹⁵ bona intentione praebendas

Intentionen des Käufers, die intercessio pecuniae eine Sünde nicht durchweg konstituieren müsse, heisst es hier, dass bei der Weihe um Geld beim Verleiher wie beim Empfänger egoistische Absichten vorauszusetzen seien (intelligatur, accipiat). 1) Ep. I. 13, Migne CXLIV, 223. 2) Ueber der Zeile. 3) 'Videmus' corr. 4) 'scireat'. 5) 'sufficeretur' corr. 6) 'et ecclesia'. 7) 'vel' corr. 8) Das 'n' über der Zeile nachgetragen. 9) 'merita'. 10) 'qui' corr. 11) 1. Cor. 9, 11. 12) Vgl. Luc. 17, 10. 13) 'qui ex caritate (diese Worte durch Unterstreichen getilgt) stipendium'. 14) 'debitum future' (durch Unterstreichen getilgt); 'nobis facere' (von anderer Hand?) am Rande nachgetragen. 15) 'qui quidem'.